

servi dominorum sunt inimici, in d. l. ne liceat, de insidiis sit mentio, ibi: & propter hanc occultam accusationem insidias alius agere. Deficit namque explicita mentio proditoris, atque requisitum habendi aliud in ore, & aliud in corde. Si enim doctrina cujusvis Doctoris intelligenda est juxta jura ab eo allegata, ut docet ipse Bartol. in leg. non solum, §. liberationum verba 7. ff. de liber. legat. & post eum Joan. Gutierrez lib. 1. practicar. quest. 2. num. 22. & Valenzuel. conf. 187. num. 106. & consil. 194. numero 10.

Quando apparet quod in Textu allegato per Bartolum in hoc primo exemplo de inimico potius quam de amico tractatur; nam servus amicus non est, sed inimicus reputatur, ut probavi, doctrina Bartoli debet intelligi de inimico potius, vel saltem ita de amico, sicut de inimico. Nam tota ratio computandi servum delatorem inter prædictores, est quia accusando dominum saluti ejus insidiatur, sub illo artificio sive machinatione, ut deducitur ex eodem Textu junct. d. leg. capitalium, §. igne, cum ceteris adductis supra, numero 27. cum seqq. Unde resultat, quod quoties machinatio sive cautela adhibeatur ad occidendum securè, insidiæ artificiosæ adfunt, quod est idem ac proditio, sive id fiat inter amicos, sive inter inimicos. Quod enim insidiæ, & artificiosa machinatio reperiantur ubi inimicus inimicum querit cautè ad occidendum, in Ecclesia, Palatio, vel Curia, & ibi adinventum nequiter, & à tergo percutit ex improvise, & occidit, solum dubitari valet ab eo, qui dubitandi prætextum desiderat.

54 Secundum exemplum ponit Bartolus ibi: vel sedens tecum in mensa hoc faciebam, in quo nullum Textum allegat, & nihil addidit de amicitia, vel inimicitia, & merito. Quia licet rarè, possibile est quod inimici in eadem mensa sedent. Ut facta pagina testatur contigisse lib. 2. Reg. cap. 13. referendo facinus Absalon occidentis fratrem suum Ammon sedentem cum reliquis fratribus in mensa, ad quam omnes invitaverat, præcedente causa inimicitie gravissimæ, resultantis ab stupro Thamar fororis. Quod quando inimicitia secretè fovetur, passim contingere potest, vel quia ab ignorante inimicitie causam, ambo invitati sunt ad convivium, vel quia casu concurrunt in diversorio. Nonne idem dicendum, quoad illum, vel illos, qui in Curia,

aut Palatio, aut Ecclesia concurrunt, ubi non irixæ, non pugnæ, non vindictæ tractantur, sed lites prosequuntur, negotia expediuntur & sacra celebrantur? Nonne in milite palatino, qui in ipsa fermè statione munus implet, & à commilitone, vel ejus uxore illuc accedente, callidè necatur? Non enim Bartoli exemplum contemplatur materialem concursum in mensa, sed morale fidei communis vinculum in loco prorsus alieno à vindicta, percussione, & nece.

Tertium exemplum huic controversiæ ansam præbens explicat Bartolus in eo qui à tergo incautum percutit, & in eo tantum expressè dixit quod rancor non debet reperiri inter eos, ut proditio resulteret. Quod nullius Textus decisione firmatur. Sed non simpliciter excludit proditorem ex rancore, sed quando esset rancor inter te & me, ita ut invicem inimici habeantur; quando illud quod facio, in actibus ostendebam. Ex quibus verbis clarè resultat, quod inimicitia præcedens per actus externos manifesta fieri debet. Non enim sufficit inimicitia ex parte occidentis, si occulta sit, sed ostensa; manifesta: prænota ibi, in actibus ostendebam, quia cum exclusio proditoris procedat ex præcautione possibili, ex parte occisi, necessarium est quod ad sui notitiam perveniat periculum imminens ex parte inimici. Ob hoc Ant. Gomez d. cap. 3. numero 5. scitè docuit ibi: ex quo deducitur, & insertur quod si invicem inimici erant capitales. Vincent. de Franq. d. decis. 713. numero 7. ibi: an vulnus per inimicum à retro illatum inimico, Baiard. ad Clar. in d. §. homicidium, numero 25. ibi: ego tamen sequor opinionem Bartoli, qui dicit occidentem per insidias, vel retro inimicum suum, non esse proditorem, quia debebat præcavere ab inimico suo. Farin. de immunit. numero 143. ibi: limita. in occidente suum inimicum quoquo modo etiam per insidias, & proditorie. Tunc enim occisus præcavendi causam habebat à suo inimico, & ideo si sibi non præcavit, sua culpa est. Et sic ceteri qui opinionem Bartoli sequuntur, tanquam si ratio unica, non patrandæ proditoris, ea sit quod potuit ab inimico præcavere. Quæ quidem præcautionem habenda esset Angela inimica Bernardini ad actus externos, ut putà ad vindictam, & prosecutionem injuriæ: & ad hoc inimicitia non poterat ab ea retineri; ex capite inimicitie, non defuit qualitas proditoris.

58

funt, ut explicat Episcopus Barbastensis d. quest. 91. numero 13. ibi: Et sic regula erit quod quoties machinatio dolosa ad decipiendum aliquem, in quem talis suspicio generari non poterat, tunc veram proditorem existere excludentem immunitatem.

59 His itaque positis, non malè inferri poterat, quod in specie controversiæ præcedentis, machinatio dolosa absque dubio adhibita fuit, quam Bernardinus prænoscere nequivit, & sic nullatenus præcavere, aut defendi. Quia inimicitia inter illum & Angelam intervenire non potuit, neque actu, neque habitu. Actus, quia per nullum actum hostilem ostensa fuit ab Angela, ut ex actis resultabat. Habitu, quia licet inimicitia reperitur aliquando in feminam, ut percipitur ex Text. in l. unic. C. de his qui se deser. ibi: & mulieris pariter inimicus. Hoc intelligitur communiter ad effectus judiciales, nempe ut repellatur ab accusando; tanquam suspecta à testimonio arceatur, & similibus (& adhuc in hoc casu Imperator Constantius non rescripsit mulierem inimicam, sed mulierem inimicam.) Non verò respectus sumendi vindictam, ut notat Tiberius Decian. lib. 3. tract. crim. cap. 25. numero 20. Et ratio est quia mulier non potest levare feudam, hoc est inimicitiam agere, quæ vindictam exigit: juxta doctrinam Glossæ in cap. 1. §. hoc autem verbo, tit. qui feud. dar. poss. in sub. feudor. Baldus in §. & quia videmus, col. penult. vers. item ista Glossæ, Angel in l. filius qui patri. prop. finem, ubi etiam Arctin. ff. de vulg. Afflictis decis. 320. n. 6. pluribus Tiraquel. in l. r. connub. num. 61. Decian. d. numero 20. Jacob. Cujacius in eodem §. hoc autem. Et ad rem Farin. quest. 53. numero 4. ibi: licet enim in femina non cadat inimicitia, nec etiam femina dicatur retinere inimicitiam; hoc tamen procedit in actibus extrajudicialibus, secus in judicialibus. Item procedit quoad actus extrinsecos, ut puta incedere cum armis, vindictam, & ceteros actus viriles facere, cum enim ad excludendam proditorem habenda esset Angela inimica Bernardini ad actus externos, ut putà ad vindictam, & prosecutionem injuriæ: & ad hoc inimicitia non poterat ab ea retineri; ex capite inimicitie, non defuit qualitas proditoris.

60 Ex eadem ratione dimanat, quod occidens feminam, iniquissimè occidisse dicatur, quia inermis, indefensa, & imbecillissimè. Pulchrè ad rem Aristoteles pro-

blemat. sect. 9. ibi: cur mulierem interfecisse iniquius sit quam virum: quamquam natura ratione mas feminà præstantior est. An quia mulier imbecillior est, minusque proinde facere injuriam potest? item enim adversus id quod longè infirmius est, nihil virile, imò solidum atque iniquissimum est. Pluribus Tiraq. vel d. l. 1. Connub. n. 75. Hinc Petrus Cabal. cas. 276. n. 9. dum de occidente mulierem bannitam, & præmium postulante tractat, prudentissime docet, impiissimum semper putasse simile facinus, quia statuta præmium promittentia ob bannitorum extirpationem, ea ratione sustinentur, ut territoria ab incursionibus, & maleficiis eorumdem purgata, & libera remaneant: quæ omnia cessant in feminis, quantumvis bannitis, quarum non est arma tractare, insultus atque incursiones facere, neque inimicos persequi; ob quod præmium non deberi tenet. Nam, ut dixi controvers. præcedent. num. 29. cum seqq. arma propria feminarum sunt colus, sulcus, acus & similia. Neque ex alia ratione Imperator in l. quisquis §. 5. ad filias, C. ad leg. Jul. Majest. dum de filiabus rei illius criminis agebat, rescripsit, ibi: quas pro sexus fragilitate minus auras esse confidimus.

Si enim femine inimicitie incapaces sunt, quoad vindictam & armorum tractationem; si ipsæ ut inermes, atque imbecilles minus posse dicantur ad injuriam, & sic iniquissimum est eas occidere; si quamquam in banno comprehendantur impiissimum censetur eas interrimere, quia neque incursiones facere possunt; si pro sexus fragilitate minus auras præsumuntur; quomodo in mentem venire potuit Bernardino ab Angela periculum imminere ut præcaverit, atque defendi posset? si nullam externam hostilitatis, vel inimicitie actionem ostenderat, in Bernardinum, imò ut falsa fuit judicialiter, marito, & ceteris cognatis propositum occidendi celavit, ne ab aliquo impediretur. Dicit aliquis, Bernardinum non ignorasse ac præcavere debuisset. Minimè, quia ut defensio adhiberi possit requiritur, notitia periculi imminenti, & juxta dictum ipsius Barroli, requiritur, quod illud quod sic, actibus ostendatur. Et consequenter dubitati nequit quod Bernardinus propositum vindictæ ignoravit, & omnino incogitatum periculum passus fuit. Ea enim quæ ignorantur, & excogitari non possunt

sunt, in dispositione minimè comprehenduntur Text. in l. nec ignorans, c. de donat. l. cum Aquiliana §. l. qui cum tutoribus §. §. i. ff. de transact. Menoch. Ofasc. Mantica & Gutierrez laudati per Dominum Larrea allegat. 72. num. 7. Quis à femina velata in atrio Palatii timere potuit insultum violentissimum? Quis præcavi à temeritate inaudita? Quis ab immanitate artificiosa, & incogitata? Quis ab ea quæ convitii causam; conjugii etiam tacuerat, imminere periculum crederet, aut suspicaretur? Nonne Bernardinus Miles Palatinus erat, & Angela militis ejusdem cohortis uxor? Hac de causa non erant ambo condonemstici ejusdem domini, atque necessitudine quadam ratione officii, ministerii, vel militiæ copulabantur? Hinc non profuit certa notitia in Angela loci ad quem convenire Bernardinum necesse erat? Utrique; quia inter commilitones, & eorum commensales, notissimum est, quo die, quæve hora, manipulus iste, vel ille custodiæ Dominicæ curam assumit. Hinc ortum habuit insidiarum causa vehementior, nam ut ait Cicero Orat. 6. in Verrem numer. 39. ibi: *nulla sunt occultiores insidia, quam ea qua latent simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam cum qui palam est adversarius facile cavendo vitare possit: hoc verò occultum, intestinum, atque domesticum malum; non modo non existit, verum etiam opprimit antequam perspicere, atque explorare poteris.*

68 Neque his obstare poterit si dixeris hæc omnia immutata fuisse per constitutionem Gregorii decimi quarti, editam anno 1591. Quia in ea dubium juris tollendo cautum reperitur quibus ex delictis privilegium immunitatis amittatur, & dum de materia hujus controversiæ tractavit, hæc verba posuit: *qui proditorie proximum suum occiderit.* Ex quibus cessare dieunt omnem rationem dubitandi. Quia verbum illud *proditorie* in proprio, & rigoroso significato, sumendum est, ita ut tantummodò excludatur qui sub prætextu amicitiae proximum suum occiderit. Ut doctrinam Bartoli sequendo tenent ex nostratibus, si ve ex nostri juris interpretibus Vincent. de Franquis d. decis. 713. ex num. 7. Farina sibi contrat. de immunit. d. num. 143. Baiard. ad Clarum in d. §. homicidium, num. 15. Giurba d. decis. 60. numero 15. Ant. Gomez d. cap. 3. numero 5. Ci-

arlin. contr. forens. tom. 2. 151. num. 23. Et ex Theologis Antonin. Diana resol. moral. parte 1. tract. 1. resol. 5. Castro Palao tom. 2. disput. de rever. debet. loc. sac. punct. 9. ex num. 26. Lezan. tom. 2. verb. immunitas, num. 12. Trullench. lib. 1. de cal. cap. 11. dub. 4. numero 16. Thomas de Bene tract. de immunit. tom. 2. capite 16. dub. 20. sect. 5. per tot. qui plures alios laudant. Verùm multitudinem eorum non obstante, nostra sententia tenenda est. Nam ex illis aliqui de vulnerante, non de occidente tractaverunt, ut Vincent. de Franquis, & ab eo citati. Aliis sibi ipsis contrarij, ut Farinacius qui quest. 28. n. 24. supposita constitutione Gregorii nostram sententiam tenuit, & de immunitate d. numero 143. palinodiam cecinit. Alii sic violenter pro contraria rapiuntur, ut doctrina Bartoli adducta, quæ solum in tertio exemplo de rancore, & inimicitia mentionem facit, in omni homicidio, ex odio præcedenti, vel inimicitia proditorem excludunt, ut Diana & Giurba. Ac denique alii sic confusè (ne dicam inscitè) quæstionem tractant, ut Dominum Covarruviam Julium Clarum, & Petrum Plaça allegare audent, pro opinione Bartoli, quam expressè reprobantur, ut P. Thomas del Bene: unde non immeritò dici poterat, quæstionem de nomine ab ipsis disputari. Quia omnes conveniunt in hoc, quod occidens proditorie proximum suum, exuat privilegium immunitatis. Conveniunt pariter in hoc quod proditio consistit in eo quod proximus decipiatur, ita ut defendere se, aut prævaricari non possit: ex quo infero quod quoties proximo per artificium, fraudem, vel machinationem, præcludatur facultas defensionis, proditio adest vera, & realis. Et quanquam Pater Diana, & sequaces superaddant machinationi, & artificium, prætextum amicitiae, tanquam necessarium ad probandam proditorem, hoc Bartolus non requirit nisi in tertio exemplo, & in eo (ut dixi) supponit inimicitiam reciprocam inter occisum, & occidentem; quod actibus ostendatur, id quod fit; cum autem summus Pontifex Gregorius decimus quartus in ea constitutione non adjecerit hæc qualitatem amicitiae vel inimicitiae, sed dixerit simpliciter *qui proditorie occiderit* tenendum est, quod verbum *proditorie* in quæstionem deductum interpretari debet secundum dispositio-

72 nes juris. Et cum ex dictis n. 25. cum seq. in jure minimè requiratur simulatio vel prætextus amicitiae, vel inimicitiae, sed tantum deceptio fraudulenta, & insidiae artificiosæ ad occidendum incautum, & nihil tale præcaventem, quoties hoc comprobetur, comprobata remanet qualitas proditoris, & sic juxta Gregorii constitutionem reus juvari non poterit privilegio immunitatis.

73 In Regnis Hispaniæ difficultate caret hæc controversia, quia ut evidenter probatur remanet *controvers. præcedenti ex n. 51.* ad hoc ut homicidium proditorium, insidiosum, vel securum comprobetur (quod apud nos nuncupatur *alove*) sufficit quòd fiat extra contentionem, pugnam, vel rixam. Neque obstat si deas legem Principis sæcularis nequam derogare posse juri Canonico. Text. in c. que in Ecclesiis 7. de consuet. cum similibus. Nam libenter concedo: sed cum summus Pontifex in ea constitutione sanxerit quod proditorie occidens exuat privilegio immunitatis, absque eo quod statuat quid dictio *proditorie* significet, sumenda est significatio, quæ secundum nostra jura habet, & habebat, antequam constitutio Gregorii ederetur. Quia credendum est

74 Gregorium sanxisse secundum communem intellectum juris illius Regni de quo agit, si ve in quo delictum patratum est, & cum tempore dictæ constitutionis, & per plures annos antecedentes jam jus nostrum definitum habebat quod dicatur homicidium proditorium, quia lex hæc definiens, nempe l. 10. tit. 26. lib. 8. recopil. lata fuit à Rege Alphonso anno 1325. ut in ejus notula marginali habetur: secundum hanc decisionem interpretari debet dicta constitutio, sicut interpretarunt Dominus Covarruvias, Joanes Gutierrez, Pater Joannes Marquez, Pater Thomas Sanchez & Augustinus Barbosa, qui viri Ecclesiastici fuerunt, in jure Canonico, & Theologia morali peritissimi.

76 Neque ista consideratio nova est aut fundamento legali destituta remanet: nam præter vulgarum illud quod sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari & sacrorum statuta Canonum, Principum constitutionibus adjuvantur, ut dixit Lucius III. in cap. 1. de novi oper. nuntiat. c. si in adiutorium 7. dist. 10. c. summoperè 70. 11. q. 3. ubi communiter

Doctores in specie materiæ immunitatis Ecclesiæ, legum sæcularium traditiones jus canonicum attendere solet, ut expressè habetur in d. c. inter alia de immunit. ibi: *juxta sacrorum statuta 77 Canonum, & traditiones legum civilium.* Quo Textu apertè Innocentius IV. ad constituenda ea quæ in d. c. continentur traditiones legum civilium præ oculis habuit. Idem probat Text. in c. id constituimus 36. 17. q. 4. ibi: *quod Ecclesiastici Canones decreverunt, & lex Romana constituit.* Verba sunt desumpta ex Concilio Aurelian. 1. c. 3. Et cum à jure Canonico non sit definitum quid desideretur ad probandam veram proditorem, nihil mirum quod per traditiones nostrarum legum civilium dictio *proditorie* constitutionis Gregorii, interpretanda sit, ne novæ differentie inter jus canonicum, & civile nostrum inducantur, quod virari temper debet, ut pluribus probat Surdus dec. 136. num. 3. Et quamvis in vim legis non possit in aliquo jure canonico derogari per leges nostras, ex vi rationis, & consuetudinis bene poterit interpretari ex c. cum tanto 11. de consuet. ut pluribus adductis August. Barbosa ex n. 10. Pluribus D. Solorzano de jur. Indiar. lib. 4. c. 12. n. 90. Borrel. de præf. Regis Cathol. c. 66. n. 22. Lata de vita hominis c. 1. n. 57. v. sed quid ego. Salgado de recent. Bullar. 1. part. c. §. unic. n. 53. cum seqq. Avendaño in Thesaur. Indiar. tit. 5. c. 4. n. 29. Præcipue dum nihil de substantia illius constitutionis immutatur, sed tantum explicatur quid summus Pontifex significati voluerit per illam dictionem *proditorie*. Text. in c. 1. a. §. cum sequent. dist. 10. Et cum lex debeat esse loco tempotique conveniens, ut probat S. Thomas 1. 2. quest. 95. art. 3. in corpore. Petr. Gregor. de republ. lib. 7. c. 20. n. 20. Morla in empur. tit. 1. q. 7. n. 53. Barbosa 80 in c. erit autem lex de constitut. num. 6. cum aliis à me relatis tom. 1. de regim. valc. 3. §. 1. num. 111. Ut constitutio Gregoriana sit Regnis nostris conveniens, interpretanda est secundum mores, consuetudines & leges nostras, per quas pro vera proditorem habetur quodcumque homicidium commissum extra pugnam, contentionem vel rixam, si ve sit in inimicum, si ve in amicum, quia de hac qualitate nullum verbum habemus in d. constitutione. Et miror quod viri religiosi in eam coeant sententiam, per

per quam foventibus odia, rancores & inimicitias capitales, anfa offertur necandi inimicos sub spe fruendi immunitatis privilegio, tanquam si qualitas odii, & inimicitia in causa sit fruendi eo privilegio, cum ea cessante non fruerebuntur. Neque percipere possum quomodo sancta Mater Ecclesia, vel summus Pontifex hunc sensum constitutioni præbeant. Quando Tridentina Synodus c. 19. sess. 25. de reformat. tot tantisque poenis summittat duellantes, auxiliatores, & intrantes, quæ à pluribus Pontificibus pariter prohibita extant, ut refert Barbosa in collect. ad hunc Text. Nam si bene perpendatur, plus damni, atque scandali generari solet ex homicidiis insidiosis, quam ex duello. Si enim Christus Dominus Matthæi c. 5. iussit inimicos diligere, quomodo odio persequi, inimicitiam fovere, & ex eo ipso immunitatem Ecclesiæ consequi poterunt, qui deficiente odio non excusarentur à pena? Audi sanctum Augustinum sermone 35. hunc textum explicantem. In reliquis operibus bonis interdum potest aliquis qualem qualem excusationem prætere in habenda vera dilectione (inimici) nullus se poterit excusare.

82 Ex his omnibus inferitur, quod per dictam constitutionem Gregorii nihil immutatum fuit de iure primævo contento in d. c. 1. de homicidio, quia idem est per induciam, & insidias occidere, ac proditoriè, probant Fran. Molin. de sacr. homicid. immunit. amittend. §. immunitas Ecclesiæ qualiter homicidio amittatur n. 196. Joan. Gutier. lib. 3. pract. q. 1. n. 36. Gambacurt. de immunit. d. l. 5. c. 8. & seqq. P. Marquez d. lib. 2. c. 32. Zerol. in prax. Episcopor. part. 1. verb. immunitas, num. 7. Layman. d. t. 1. 4. tract. 9. c. 3. n. 8. Vener. in exam. Episc. q. 37. n. 37. Urrutigoiti de compet. jur. q. 35. n. 38. Et quantumvis contrarium defendere conentur Cart. d. dec. 95. ex n. 5. & P. Diana d. part. 1. tract. 6. resol. 1. Ad omnia accuratè respondit Don Mar. Curtel. d. lib. 1. q. 1. per tot.

83 Et casu quo in aliquo derogatum sit, in Regnis Hispaniæ, interposita fuit supplicatio ad Sanctissimum, & quousq; melius informatus, quid faciendum statuerit, non est usu recepta dicta constitutio, cum ejus dispositionis effectus, suspensum remansissent mediante remedio supplicationis, ut pluribus dixi contror. 7. n. 14.

CONTROVERSIA XXXI.

De homicidio patrato icu tormenti manualis reprobata mensura, an proditorium dici possit ad effectum immunitatis.

SUMMARIUM.

- 1 Machinarum bellicarum, & tormentorum missilium inventum antiquissimum est.
- 2 Tormenta ignita nostri temporis violentissima præ cæteris sunt.
- 3 Pulveris pyrii violentia.
- 4 Tormenta ignea, quo tempore adinventum fuerit.
- 5 Inventor pulveris pyrii, & horum tormentorum quis.
- 6 Tormenta ignea visa in Hispania in obsidione Algezira urbis Bæticæ anno 1344.
- 7 Jus canonicum quo tempore compilatum fuerit.
- 8 Tormenta ignea an antiquitas in u. suff. sent.
- 9 Salmonem usum fuisse his machinis, sunt qui teneant.
- 10 Glandes plumbeæ ardentes tempore Romanorum visa.
- 11 Salmoni facinus, fabulis potius, quam historia tribuendum.
- 12 Salmoni facians, etiam si historia referatur, non per hæc tormenta patratum.
- 13 Glandes plumbeæ liquefactæ tempore Romanorum, fundæ mistebantur.
- 14 Funditores inter velites militiæ Romanæ annumerabantur.
- 15 Glandium missilium fundis Romanorum formam ab Aldrovando traditam habemus.
- 16 Harum glandium violentia.
- 17 Pulvis fulminalis idem ac pyrius.
- 18 Tormenti manualis iclus fulmini comparatur.
- 19 Auctores de immanitate atque violentia horum tormentorum laudantur.
- 20 Lege Hispana vulnerans, aut occidens cum tormenti manualis reprobata mensura iclu, proditor reputatur.
- 21 Delatio hujus tormenti, habet admixtam in se proditionem.
- 22 Occidens cum instrumenta manuali reprobata mensura, amittit privilegium immunitatis.

23 Instru

22 Instrumentum hoc est diabolicum inventum.

23 Arma falsa, offensiva, atque proditoria.

24 Insidiosum, atque perniciosum genus armorum.

25 Ex illius iclu, à communiter contingens homicidium sequitur.

26 Proditorium est, atque pacis publicæ perturbativum.

27 Immane damnum affert, minimè reparabile, aut resistibile.

28 Potius proditori, quam defensionis deservit.

29 Eo homines vita privantur, & vulnerati difficillimè convalescunt.

30 Articulus immunitatis regulandus juxta sacrorum Canonum statuta, atque Pontificum Constitutiones.

31 Et sic defectu potestatis nihil leges civiles possunt decernere, quoad immunitatem.

32 Canonis decisio aut pontificia Constitutio non reperitur per quam desinitum sit, quod homicida iclu tormenti reprobata mensura gaudeat privilegio immunitatis.

33 Pontificis constitutionibus definitum est tale instrumentum esse proditorium, atque detestabile.

34 Constit. 49. summi Antistitis Pij IV. expenditur.

35 Alterius constitutionis S. Pij V. Pontificis verba traduntur.

36 Doctores harum Constitutionum mentionem facientes adducuntur.

37 Iste constitutio lata fuerunt contra subditos status temporalis Ecclesiæ, sed non ex eo enervantur.

38 Decreta seu Constitutiones Pontificum adduci solent à Doctoribus ad interpretationem aliarum, quamvis editæ sint in similibus causis status temporalis Ecclesiæ.

39 Farinacius impugnatur, quoad ea quæ tradidit de mente Clementis VIII. summi Pontificis.

40 Leges civiles plurimum juvant ad interpretationem Canonum, & constitutionum pontificalium.

41 Aliud est esse tale, & aliud haberi pro tali.

42 Leges Hispaniæ verè definiunt, quod delictum patratum cum tormenti reprobata mensura, sit ex sui natura proditorium.

43 Constitutiones Pontificum idem definiunt.

44 Constitutiones Pontificis adducuntur quibus pena acerba puniri mandantur.

Ecclesiastici hæc arma deferentes, atque cum eis delinquentes.

45 Constitutio Pontificis observantiam legis civilis, ad Ecclesiasticas personas extendens, illam legem confirmat.

46 Licet pena imponenda sit conformis sacris Canonibus.

47 Constitutio Pontificis traditur, per quam Clerici minorum ordinum delinquentes cum tormenti reprobata mensura privilegio fori privantur.

48 Occidens cum his armis privatur beneficio immunitatis, etiam in terminis Gregorianæ constitutionis.

49 In specie controversiæ 29. rea non debuit jvari beneficio immunitatis Ecclesiæ.

50 Qua de Sinensibus dicuntur respectu usus pulveris pyrii vana sunt, & etiam si vera habeantur, tempore compilationis juris Canonici ignorabantur.

Machinarum bellicarum inventum i tormentorum missilium origo & usus ab antiquissimis temporibus mutuatus fuit à Romanis, ut pulchre probat Justus Lipsius l. 1. poliorcet. dialog. 1. & lib. 3. dial. 1. cum aliquibus sequentibus Et quantumvis tam in propugnandis militissimis locis, quam in perendis adversariorum aciebus efficacia violenta eorumdem experti fuissent; cuncta cedere debent machinis atque tormentis pulvere pyrio nitrato, sive fulminali (ut ipse Lipsius tradit l. 5. dial. ultim.) instructis, ac pilis, vel glandibus sive ferreis, sive plumbeis refertis, ut in cuniculis subterraneis, tormentis æneis, bombardis, musquetis, archibus, cæterisque instrumentis hujus generis experientia quotidiana demonstrat. Nam arces mantissimæ ejus violentia brevissimè subvertuntur: propugnacula ingentis molis per acieas regiones volare experimur; rupes excellæ ferroque impenetrabiles, eo pulvere dissipantur; naves validiores ejus iclu vel flamma citissimè pereunt; muri inexpugnabiles repente conquassantur, & Dux strenuus à debiliore velite improvisa percussione necatur. Causam hujus violentissimi effectus ex pulvere pyrio accenso, plures philosophantur, sed accuratius cæteris (meo quidem judicio) Petrus Gassendus explicat t. 2. lib. 1. Physic. sect. 3. dicit de calore subterraneo & terre motu differit, vers. prinquam, circa medium. De tempore inventionis hujus pulveris varia Doctores tradunt, sicut de nomine ipsius